

## 2.5. Progoni na teritoriju posjeda Tršci (1710.; 1740.)

### 2.5.1.

*Bedenica, 7. siječnja 1710.*

*Tužba Kristofora i Magdalene Mikulić protiv kmetice Magdalene Vedriš zbog vještičarstva i trovanja*

Actio generosorum Christophori Mikulich, alias sacrae caesareae regiae Maiestatis postarum Radoniczensium et Beriszlauczensium simul unitarum magistri et dominae Magdalene Budor, conthoralis eiusdem ut actores, contra et adversus Magdalenam Oszman consortem Petri Vedriss, colonissam eorundem dominorum actorum, velut in causam attractam, coram me Nicolao Kupinich Comitatum Zagrabienensis et Crisiensis nec non liberae regiaeque civitatis Montis Graecensis Zagrabienensis iurato assessore, substituto alias in causa praesenti (!), per memoratos dominos actores pro nunc, vel alio fors (me legitime impedito) in termino praefigendo substituendo iudice, praesente me Balthasare Balogh, iudice nobilium Comitatus Zagrabienensis pro testimonio existente, facta modo subsequenti (!).

Qualiter his iam dudum retroactis annis et temporibus et quidem vix limina iuventutis suae egressa mox in coetum et numerum diabolicae et fraudulentae caecitatis diversorum actuum magicorum asseclam dicta in causam attracta sese reddidisset, habitoque cum eiusmodi asseclis et nefariae artis imitatoribus ac sociis mutuo, humano generi omni diabolicae nocendi ex practicatae aviditatis consilio; animo prorsus denique deliberato, divinis pariter et humanis sanctionibus postpositis et postergatis. Primo Deo ter optimo maximo, Creatori suo atque Redemptori sese in aevum rebelasset, exindeque fidem catholicam christianam, sibi in fonte baptismatis legitima sacramentaliter collatam, penitus et in toto detestando; sacrosanctam in sua essentia Triadem turpiter et sacrilege denegasset, ac exinde cunctis Ecclesiae sanctae Romanae sacramentis, ritibus, beneficiis, indulgentiis ac meritis a sacris conciliis praetitulataque sacrosancta Romano-catholica matre Ecclesia, conclusis concessisque, approbatis et observatis abrenuntiasset. Unde credi facile esset quod eiusdem diaboli, tamquam omnium iniquarum professionum authoris albo, ultro sponte in perpetuum mancipium sese tradidisset. Ex eoque, sub vexillo et militia eiusdem iuramento homagialis fidelitatis obstricta, omnia ea, quae in contemptum Dei Redemptoris et Creatoris sui excogitari, contraque eandem divinam Maiestatem, genus humanum atque animalium, diabolica molimina fieri possent praesente diabolo, aut eius magistrello ad id destinato, solemniter praescrito compactata foret; artique diabolicae et nefariis magicis factionibus (proh,dolor!) sese addidisset taliterque et quidem diversis occasionibus, locis et praetextibus eidem in causam attractae optimum cognitio, generi (ut praemissum esset) humano et reliquis animalibus interrupte noceri coepisset. Unde et in eum finem cum daemone (obstupescant homines et omnia elementa) modis sibi notis convixisset contractoque taliter illegitimo et malefico conventu (uti credi par esset) plures abortus procurasse aut etiam legitime sive etiam

illegitime conceptos foetus (!) aut proles principali suo diabolo nimirum inbaptizatas consecrasse, aut vero baptizatas pravis magicisque moribus inbuendo primo ex illo subdedisset, neve etiam recidendo proles, cadavera earundem in usus magicos convertisset, ideoque odio inennarabili contra genus humanum eidemque subiecta inflammata, suadente et pelliciente praemisso principali suo arte praemissa saepe saepius cum complicibus suis suo modo requirendis ac revelandis, gelu nocivum, grandinem horrendam, siccitatem inennarabilem, ariditatem inaestimabilem procreando: sterilitatem inopinatam terrae summumque deffectum fructum (!), consequenter arctissimam famem, mortem denique hominum copiosisissimam (!) causasset. Non minus praeter leves, vel ratione dictante, nullas offensas complurium hominum vires robustique corporis inhallatione, unguentis, contactu compositioneque et mixtione multiformium venenorum, herbarum, foliorum et pulverum atque radicum attrivisset, longamque maciem, torporem cordis, ultimatim mortem hominibus procurasset. Deinde arte praevia, lac in vaccis proximi sui vel alterius cuiuscunque e vaccis surripiendo, vel etiam sanguinem flui procurando, suis iumentis applicuisset, nec non animalia vicinorum, aut sese quoquo pacto offendentium infascinasset, eatenusque gravissimum damnum eisdem intulisset. Omnes denique animi, corporisque sui vires in grave opprobrium divinae Maiestatis, nocumentumque humani generis ad imitationem diaboli, suique magistrelli exercuisset elicuissetque; ac in contestationem praemissorum, in anno 1708., circa festum Nativitatis Domini nostri Iesu Christi transacto praeterito, in et ad domum providi Laurentii Sagud in possessione Jertoucz in pertinentiis diruti castris Zelina, inque Comitatu Zagradiensi existente habita (praeparatis haud dubie veneficiis et maleficiis) accedendo, ibidemque a Dorothea Nemchich iam fati Laurentii Sagud sorte, tritico postulato et non obtento, prolem eiusdem foemellam, nomine Agatham, adeo veneficio sibi bene cognito modo infecisset, ut mox carnes corporis sui, asperimis moribus, (donec eadem in causam attracta per parentes ante fatae proles infectae exorata, ad eandem prolem redux, in vim ante habitae sanitatis restitutionis osculum eidem proli impressisset) sese continuo afflixisset et vexasset. Uti et in anno eodem ac circa festum Ascensionis Domini transactum praeteritum, in et ad cellarium nobilis Petri Hadas in promonthorio (!) Seremetov Verh, inque praefato Comitatu Zagradiensi existente habito, veniendo, hausto vini sibi dari postulato sed per fratrem eiusdem Petri Hadas Franciscum denegato, quadraginta circiter gallorum Judicorum iuvenum interitum dictorum Hadas, mox causasset. Non absimiliter in anno 1706. ac circa festum Pachatis in et ad domum providi Georgii Sagud, coloni sanctimonialium Zagradiensium in praefata possessione Jertoucz, pertinentiis et Comitatu quibus supra existentem habitam, dicta in causam attracta accessisset, ibidemque facta prius sub humeris venefica et magica eiusdem manibus titillatione (!) membrorum, ac potus per eandem in causam attractam petiti, ab attacto Georgio Sagud denegatione secuta, uti et nendi instrumento *ureteno* dicto fenestram projectione, eadem in causam attracta adeo in furorem versa, ut dictum Georgium Sagud ita maleficiasset, ut per integrae septimanae spatium quendam equum (haud dubie nigrum, id est diabolium in forma equi) per eandem in causam attractam insidentem, per avia et devia, viarumque trivium et quadrivium, nec non profunditates vallium circa vicina ibidem loca, arte magica per eandem in causam attractam vexatus, hinc inde deduceri coactus sit et non nisi praemissis saepissimis precibus ac secutis conviviis et tractationibus, febribus sat diuturno tempore vexasset, animalibus plurimos privasset, lacticinia in sanguinem conmutasset, pluraque enormia eiusmodi magica opera, in facie iuris fusius declarandi opera et

factione diaboli excogitata perpetrasset, taliterque se manifestam sagam, maleficam et veneficam, ex eoque Deo optimo, hominibusque et animantibus perpetuam hostem efficere non formidasset. Poenam tum in generalibus canonicis et civilibus passim legibus, uti et Regni sanctionibus passim hincinde (!) sancitam incurrere non formidasset.

Vellent proinde memorati domini actores virtute praemissarum legum et constitutionum, super praemissis passim sancitarum, de dicta in causam attracta iudicium et iustitiam, ac iuxta contenta praemissae actionis, eiusdem in causam attractae demerita, habitae iustitiae, effectivum complementum sibi administrari; eandem videlicet in causam attractam tamquam manifestam sagam, veneficam et maleficam, adeoque Creatoris et Redemptoris sui, generisque humani et reliquorum animantium perpetuam et apertam hostem, ad revelandos plures eiusmodi nefariorum actuum compatriotes et complices, denegandaque opera magica et venefica, primo torturae subiici ac tandem ultimo mortis supplicio rogo videlicet vivam concremandam, adiudicari. Legibus praeinsinuatissimis sic dictum. Datum Bodoniczae die septima Ianuarii anno Domini 1710.

Lectum correctum et cum suo originali comportatum, per me Nicolaum Kupinich in praemissa causa substitutum iudicem. Idem manu propria

Balthasarus Ballogh iudex nobilium Comitatus Zagrabiensis pro testimonio manu propria

Na poledini: Magdalene Oszman, Petri Michael consorti uti modo introserto in causam attractae Medio officialis introducentium dominorum terrestrium et actorum assignandum par Terminus pro die 23. mensis Ianuarii et aliis sinecessis fuerit iuridicis diebus antefati mensis et anni introserti in curia in possessione Beriszlauecz et Comitatu Zagrabiensi existente introscriptorum actorum praefigitur et eatenus in causam attracta virtute praesentium certificatur Nicolaus Kupinich substitutus iudex Ad fasc. II Actio criminalis ex parte Christophori Mikulich et consortis Magdalene Budor contra Magdalenam Vedriss subditam, criminis artis magicae et respective veneficii rea.

1710. 7a. Ianuarii Nro 59. 3 LL

*HR-HDA- 716. 2.2. 59. Obitelj Galjuf, Arhiv obitelji Galjuf*

## 2.5.2.

*Tršci, 15. veljače 1741.*

*Tužba Ivana Banovec protiv Katarine Vukež, kmetice i podložnice Kristofora i Ane Galjuf, zbog vješticiarstva*

Actio providi Ioannis Banovecz officialis, fiscalis et actoris contra et adversus Catharinam Kraly, providi Nicolai olim Vukesz subditi et coloni perillustrium dominorum Christophori Gallyuff et Annae Bedekovich consortis eiusdem ad bona Terszczy, pertinentiis diruti castri Zelina districtu Szent Ivan, Comitatuque Zagrabiensi situata

spectantis relictam viduam veluti meritis in infrascriptis manifestam sagam, et maleficii ream ac in causam attractam. Coram me Gaspare Dolovacz alias antelati Comitatus Zagrabiensis vice iudice nobilium, tanquam per antelatam dominam Annam Bedekovich, filiam perillustris domini Stephani Bedekovich, actu iudicis nobilium Comitatus Varasdinensis, ex generosa domina Barbara, consorte eiusdem, filia vero generosi Christophori Mikulich ex generosa itidem domina Magdalena Budor, consorte eiusdem, susceptam progenitam, supratitulati vero domini Christophori Gallyuff conthoralem (quae nempe tam per legitimam descendantiam ex familia Budor, quam etiam per actualem bonorum Budorianorum praefatorum quippe Tersczi possessum, iure gladii gauderet) substituto, aut in termino infrascripto per eandem dominam alio nefors substituendo iudice dominali, erecta (!) tenoris sequentis:

Qualiter superscripta in causam attracta, annis praecedentibus primum vix iuventutis suae limen ingressa, fidem Deo Creatori suo in baptizmo datam, detestata, iurato omnipotentis Dei hosti diabolo, conculcatis sacris sacrorum, spretisque legibus humanis, ita ac divinis, in contemptum Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, sponte coniuisset et omnia contra adversusque divinam Maiestatem, genusque humanum diabolica molimina compactasset, arti denique diabolicae, professionique magicae et maleficae se subscripsisset, unde et in eum finem cum doemone (!) carnaliter saepe saepius convixisset, contractoque taliter infelici et infausto connubio, plures uti credi par est abortus procreasset, aut etiam conceptas legitime vel illegitime proles principali suo diabolo fors inbaptizatas aut vero baptizatas, pravis moribus imbuendo, pari vexillo subscripsisset, neve etiam proprias necando proles, cadavera eorundem in usus magicos convertisset, hisque positis et aliundo forte odio contra genus humanum suasu doemonis (!) arte magica saepe saepius cum innumeris complicibus suis suo modo revellandis (!) et requirendis, grandinem, aerucas, siccitatem, ariditatem et recenter in authumno (!) mox post festum sancti Michaelis archangeli gellu (!) procurrando (!), terrae sterilitatem (!), defectumque fructuum, frugum et vini, exindeque famem mortemque nefors hominum copiose causasset. Ita etiam cooperante suadenteque diabolo dicta in causam attracta cum complicibus suis propter leves et nullas etiam offensas, complurium hominum vires et robur corporis attrivisset, longamque maciem, torporem, angustias cordis, ultimatim mortem procurasset. Demum etiam arte eadem magica lac vaccis proximi sui surripiendo propriis afflicisset aut vero animalia vicinorum infascinasset et gravissimum damnum proximis suis causasset. Sacerdotem quoque Mravinecz appellatum iugulari iuvisset, uti id ipsum consocia eiusdem Dorothea Poszavecz in tortura sua in anno Domini 1738. die vero 26. mensis Martii in Novo Meszto, curia quippe spectabilis dominae Elisabethae Gereczy consortis vero Jankovichianae retulisset; talismodique relationem et fassionem ipsa quoque morte confirmavisset, et ne talia infinitaque alia eiusdem in causam attractae mala opera patefierent, eandem consociam complicemque prius suam, nunc vero pie superinde mortuam, in vinculis constitutam suffocare iugulareque fuisset connata (!). Denique omnes animi corporisque vires in opprobrium divinae Maiestatis, nocumentumque humani generis ad imitationem iurati Dei et hominis hostis diaboli exercuisset, elicuissetque et taliter manifestam sagam sese efficere non formidavisset, contra apperta divina et humana iura Regnique leges positivas et naturales. Vellet proinde antelatus officialis fiscalis et actor, virtute legum Regni de dicta in causam attracta super praemissis iudicium et iustitiam, eandemque nimirum in causam attractam, tanquam manifestam sagam, ad revellandos (!) plures complices et plura

magica acta, primo torture subici, ac tandem debito mortis supplicio igne cremandam. Per me substitutum vel alium substituendum iudicem adiudicari. Datum Terczy 15ta Februarii 1741.

Lectum et corectum (!) per me Gasparem Dolovecz, modo praemisso substitutum iudicem dominalem. Antelatae in causam attractae intuitu praemissorum pro die 28. Februarii terminus hicce loci praefigitur, anni superscripti 1741. Datum ut supra. Idem qui supra substitutus m.propria.

*HR-HDA- 716.2.3.146, Obitelj Galjuf. Arhiv Obitelji Galjuf*

### 2.5.3.

*Tršci, 18. veljače 1741.*

*Svjedočanstvo podsuca Zagrebačke županije o iskazima svjedoka ispitanih o Katarini Vukež, optuženoj za vještičarstvo i trovanje*

Anno Domini 1741., die vero 17. mensis Februarii in curia Terczy, pertinentiis diruti castris Zelina, districtu Szent Ivan, Comitatuque Zagrabiensi existente habita. Per me infrascriptum modo fati Comitatus Zagrabiensis vice iudicem virtute comissionis perillustris ac generosi domini Sigismundi Bussich eiusdem Comitatus Zagrabiensis iudicis nobilium pro parte et ad legitimam requisitionem perillustrium ac generosorum dominorum Christophori Galljuff et Annae Bedekovich dominae conthoralis eiusdem, contra et adversus Catharinam Kralj, providi Nicolai olim Vukesz, supratitulatorum dominorum subditi et coloni ad praefata bona spectantis, relictam viduam, et hactenus etiam in antelatorum dominorum terrestrium sessione coloniali degentem, accersitis in mei praesentiam infrascriptis testibus, facta est infrascripta inquisitio, seu testium colectio (!), modo et ordine subsequenti (!):

Primus in ordine testis nobilis Iacobus Patich aliter Blasek, servus supra titulatorum dominorum annorum circiter 30., adiuratus, examinatus, fassus et attestatus est scitu et auditu: szvedochi da kada bi imenovani szvedok bil poszlan od goszpona szvoiega zgora szpomenutu Kattu lovit, i vu hisu nie dossel, pervo nego ioi ie povedal vu kakvom poszlu hodi, da ie zovemi rechmi szuprot szvedoku i drugem znim onde buduchjem pochela govoriti: "Dosli szte naipervo mene lovit, kak da bi ia naiveksa czopernicza bila. Zakai pervo nego mene ne vlovite Kapitanicze? I mene potvorili ieszu da szem ja drusinu vu ove hise pomorila, alli neszem, neg iu ie Blas Kamenar."

Secundus in ordine testis, providus Michael Bobinecz, annorum circiter 30., homo et subditus eorundem dominorum, adiuratus, examinatus, fassus et attestatus est scitu et auditu per omnia uti imediate (!) praecedens testis. Naimre szvedochi da kada bi imenovani szvedok bil poszlan od goszpona szvoiega zgora szpomenutu Kattu lovit, i vu hisu nie dossel, pervo nego ioi ie povedal vu kakvom poszlu hodi, da ie zovem rechmi szuprot szvedoku i drugem znim onde buduchem pochela govoriti: "Dosli szte naipervo mene lovit, kak da bi ja naiveksa czopernicza bila. Zakai pervo nego mene ne vlovite Kapitanicze? I mene potvorili ieszu da szem ja drusinu vu ove hise pomorila, alli neszem, neg iu ie Blas Kamenar."

Tertius in ordine testis proventus Michael Zularich, annorum circiter 28. etiam homo et subditus eorundem dominorum adiuratus, examinatus, fassus et attestatus est scitu et auditu per omnia uti imediate (!) praecedens testis. Naimre szvedochi da kada bi imenovani szvedok bil poszlan od goszpona szvoiega zgora szpomenutu Kattu lovit, i vu hisu nie dossel, pervo nego ioi ie povedal vu kakvom poszlu hodi, da ie zovemi rechmi szuprot szvedoku i drugem znim onde buduchiem pochela govoriti: "Dosli szte naipervo mene lovit, kak da bi naiveksa ja czopernicza bila. Zakai pervo nego mene ne vlovite Kapitanicze? I mene potvorili ieszu da szem ja drusinu vu ove hise pomorila, alli neszem, neg iu ie Blas Kamenar."

Super quibus praemissis praesentes dictis dominis extradedi. Datum expeditionis in curia Terczy, die 18. Februarii 1741.

Per me Casparem Piszachich incliti Comitatus Zagrabiensis vice iudicem nobilium. Idem m.propria.

Na poledini: ad fasc. IV.

Inquisitio Christophori Galliuf et consortis Annae Bedekovich contra Catharinam kraly, nuptam Vukesz, criminis veneficii ream. 1741. 18. Februarii.

Nro. 147. 7.C.

Sub numero tertio. Inquisitio contra introscriptam sagam collecta. no.52.

*HR-HDA-716. 2.3. 147. Obitelj Galjuf. Arhiv obitelji Galjuf*